

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quartâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. JOANNE-BAPTISTA-LUDOVICO CHOMEL, Academiæ Censore, Facultatis Exdecano, Medico Regis ordinario, & Regii Medicorum Collegii Nanceiani Socio Honorario, Doctore Medico, Præside.

An in ætate mediâ rariori indulgendum cibo?

I.


TAS, illud vitæ spatium quo manifesta fit animi corporisque mutatio, cum variis anni tempestatibus comparari potest. Nulla semper floret; puerorum infirmitas, juvenum ferocitas, gravitas constantis ac mediæ ætatis, maturitas senectutis suo quovis tempore percipiuntur, sua cuique parti ætatis data tempestivitas, suus est ortus ac interitus. Tenebrosissimum ineuntis & iniciæ ætatis tempus excipit florens ætas cui fervor inest, quo progrediente omnia fiunt in dies mitiora. Juventutem ut plurimùm emendat usu edocta gravis & constans ætas regenda mox & ipsa redarguenda senum ætate

maturiſſimâ quæ in æſtimatione conquieſcit. Cùm autem acta honeſtè & ſplendidè ſuperior ætas tantam afferat conſolationem, ut eos qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo, aut perleviter pungat animi dolor, non ætatis progreſſum ad ſaniora rediturus expectes. Non cani, non rugæ authoritatem arripiunt; fructus quos meruerint hominibus ſeveriſſimè retribuuntur, nec præterita ætas quamvis longa, (*) ſtultam ſenectutem unquam permulcebit. Et cùm ventris ac gulæ vitia nedum minuat ætas, ea ut plurimùm augeat, ea ſit per vitæ curriculum aſſueta victûs ratio quæ cujuſque ætatis naturam æſtimet, ſuſtentando corpori conſulat, illiuſque jacturas reſarciat.

(*) Cicero Tuſcul. Lib. 1.

I I.

ET ſanè nec alimentis nec eorum præparatione quandoque nocivâ indigeremus, niſi indeſinenter è corpore avolans ſubſtantia aliam de novo expoſceret viribus reparandis ac ſuſtentandis, obeundiſque corporis functionibus maximè idoneam. Toti igitur eſſe debent Medici non ſolùm ut corrigant ciborum qualitates, ſed ut eam alimentorum præſcribant quantitatem quæ cuique ætati ac temperamento utiliorem exiſtimaverint. Sic ætas iniens quæ calida & humida, perpetuo motu eoque neceſſario movetur irrequieta, frequentiori, leviori ac ſimpliciſſimo pabulo gaudet quo partes molles ac delicatulæ expanſioni fiant habiles, elongentur non rigeſcant, perpetuo madeant rore nec unquam ſiccentur. Hinc illa ætas maximè arcenda eſt à libidinibus quibus & calor abſumeretur retardareturque accretio. Juventus, vitio parentum rara ætas, in qua corpus magis ac magis adoleſcit, caveat ab alimentis quæ fervorem nativum accendant, conſtantemque ſeu mediam ætatem accelerent: gaudeat equis, illam caſtra & bella juvent, in labore improbo animi, corporiſque patientiâ exerceatur, nec unquam illius induſtria in antelucanis cœnis expromatur. Sic ſuo tempore læti juvenes ſpectatiſſimâ optimâque conſiſtenti ætate fruentur, quæ, cùm ſola pari corporis animique impetu rerum gravitatem ſuſtineat, ſervando nervorum robori conſulere debet. Adhibeatur itaque cibi potioniſque moderata quantitas quam præſens corporis ſtatus expoſtulat ad reficiendas vires, non opprimendas: ſin verò præmatura ſenectus morborum iliade vexabitur.

I I I.

IN ætate mediâ ſeu conſtanti univerſæ corporis partes in ultimum extenſionis accretioniſque gradum perventæ, ad imminutionem decretionemque ſeriùs ocyùſve properabunt prout ſalubribus artis Iatricæ conſiliis plus minuſve benignam aurem accommodaverit hæc ætas. Cum autem univerſa naturæ corpora quæ aluntur & creſcunt, in ſe vim caloris contineant ſine quâ non ſolùm nec ali nec creſcere, ſed etiam nec conſtare diu poſſunt, ad cuſtodiam ſalutaris ignis ſedulò invigilandum eſt, ne aut vividiore enutritus pabulo flammam citiùs concipiat ac in auras pervolet, aut majori & inutili alimentorum pondere preſſus, neceſſariâ defraudatus ventilatione ſuffocatus occumbat. Humanum quippe corpus conſtat ſolidis fluidiſque partibus motu reciproco donatis. Per humorum fluentium circumductionem, perpetuamque ſolidorum actionem minimæ partes deteruntur, detritæ liquoribus immiſcentur, moventur, exhalant; fluida quoque attritu repetito, conſtanti motu ſecretionibus innumeris depauperata imminuuntur, ad exhalantia vaſa affatim appellunt, foràs ubertim protruduntur: ipſis tamen laus eſt propria ut faciliùs poſſint refici quàm ſolida quæ licèt à liquidis orta eſſe videantur, (ut in ovo incubato demonſtratur) tamen quiete, fluidorum oggerentium cohæſione, inſpiſſatione, ſiccitate indurantur, frigent, ſeneſcunt, moriuntur. Quæ ſimplex inſulſa leviſſimaque debet eſſe lympha, apta nata vires reficere, partes evolvere ac nutrire, ex parte ſolidorum expoſcit motum liberri-

mum evolutiſſimumque ut ſubtilis atteratur & fluat. Motum hunc adeò ſalutarem ac neceſſarium, non diuturniorem pollicentur fibræ ad rigiditatem indurationem ſiccitatemque heu nimiùm à naturâ diſpoſitæ! Poſitâ igitur principiorum corporis ſtructurâ & indole, illud fertur in ruinam ineluctabilem quam tamen ex victûs prudenti ratione ac normâ retardare ac protrahere poſſe gloriatur ars medica nec immeritò. Sit enim vigiliarum & ſtudii ſcopus ut liquoribus concilietur fluiditas ne ſpiſſentur, fibris mollities ne rigeſcant: ubi nulla ampliùs vaſorum requiritur evolutio, accretio, elongatio, non frequentiori & abundantiori cibo ingurgitentur, ne vis virium naturæ quæ priùs in ampliandis fibris diſtracta erat, in eis anguſtandis, ſiccandis & indurandis impedita ſit ac diſtenta. Etenim in mediâ ætate quælibet imminuuntur organorum actiones, graviori paſſu incedit pulſus, lentior in dies evadit ſolidorum actio; non igitur plus laboris, vel animo, vel corpori imponat virilis ætas quàm animi vigor, vel corporis vires ſuaviter admittunt, non plus ventriculo addatur cibi quàm fert ætas, ſeu natura poſtulat, & tunc morborum ſævitiam vitare, longævitatis fructus percipere, viridem ſenectam (vitæ ſobriæ præmium) experiri, placidumque vitæ finem obire non erit adeò arduum.

I V.

VARIAS inter hominis ætates nulla periculoſiùs gulæ vitiis cibique erroribus afficitur quàm virilis ætas, nulla proindè certâ victûs ratione magis refrænanda. Quos enim ſingulæ ætates propriis armis repellunt avidi ventris ictus, hæc iiſdem nuda patet: & quidem juveniles annos quandoque vexat ſuccorum redundantia: at citò caloris humidi potente vi & actione elevatur, ad exercitia cujuſcumque generis ſpontaneâ alacritate diſſipatur, tandem debitâ partium accretione conſumitur. In ſenibus vaſa ſiccitate rigida, vel flacciditate debilia plethoram difficulter admittunt, admiſſamve incautè facili negotio paulò poſt faventibus emunctoriis evacuant ac rejiciunt, vel in pituitam vertunt facilem & abundantem. At verò in ætate mediâ leges ſobrietatis non impunè diu ſpreveris. Omnes enim ſucci alibiles facillimè parantur, retinentur & aſſervantur. Saliva arterioſi ſanguinis progenies maſticationis tempore abundanter effluens, ſucci gaſtrici vicaria, bilis æmula, cibos apprimè diluit & dividit; bilis ſaponaceâ qua pollet indole chylum efficaciter elaborat, inde in ætate conſiſtenti corpus faciliùs ſaginatur, pingueſcit ſplendidamque ſanitatis imperiti vulgi oculis prefert ſpeciem. At quantum ex iſtâ ſpecie bonorum ſurgere amaritudinis? Quanta ex ipſâmet ſecuritate mala? Dum enim pingueſcit corpus, inertes fiunt ſucci & ſolidorum imminuitur actio. Aliundè frequenti ac nimiâ alimentorum uſurpatione diſtenduntur ventriculi fibræ & de tono deperdunt. In inteſtinorum tractu pluribus intercalatis digeſtionibus periſtaltica rumpitur actio, eoque moleſtiùs quòd aër incluſus nimiumque rareſcens, ſub importuno flatuum nomine notiſſimus fortiùs expandatur, abdominiſque anguſtentur viſcera. Hinc aortâ deſcendente compreſſâ, craſſior & exundante ſero adhucdum turgidus ſanguis ſuperiora petit vaſa, organa nobiliora ingurgitantur, anfractuoſa mollioris cerebri ſubſtantia varicibus fœdatur, cerebro compreſſo, vel ſtagnante ſucco nerveo apparent apoplexiæ prodromi vertigines, membra ſtupor invadit, ſupervenit morbus attonitus vel immedicabilis reſolutio; lympha malè ſubacta ſpiſſeſcit, hæret, pulmones ſubit, & dyſpnœam, catharrum, vel hydropem prænuntiat; difficili bile tumens jecur fervido irritatur calore, vel obſtructionibus & ſchirro induratur; turgent & incaleſcunt hæmorroides; tandem ne ſalubri exercitio tantas ægritudines valeant excutere, arthritis artus occupat & malè torquet. Tot verò mediæ ætatis affectus frequenti cibo &

opiparæ mensæ adscribendos, utut prima artis Medicæ elementa sapiat, nemo inficiabitur. Novo quippe succo non oppleantur viscera, vitali quo pollent motu pondus inutile excutient, interpositâ quiete novas resument vires, assueta redintegrabunt munia, morborumque assultus præcavebunt ac ludent. Quid autem inter assumenda alimenta intervalli esse debeat, pro variâ subjecti naturâ, temperamenti indole, vitæ consuetudine, regione, anni tempestate, sexu diverso, corporis exercitio prudens æstimabit Medicus, toto sanè aberraturus cœlo, nisi attendat in ætate mediâ cibum frequentem sanitati quammaximè adversum, salubriorem verò si rarò concedatur.

V.

AT verò, inquies; plus sobrietati adversantur hæ nostræ sobrietatis leges quàm ipsamet immoderatæ gulæ incontinentia. Quos enim raris assuetos mensis videmus, eosdem ultra necessitatis & naturæ votum edere magistra docet experientia. Fame quippè enecti factique edaces avido ore alimenta quævis & absque delectu insalutatâ masticatione deglutientes in ventriculum affatim protrudunt cum gravi sanitatis periculo. Ita sanè; quoties à frequenti discedent mensâ, ut opiparæ studiosiùs accumbant. Nec ea est consilii nostri ratio: quid valeat, quid ferre recuset stomachus, præcipuè attendant mediæ ætatis homines; quam corpus reficiendum & instaurandæ vires exposcunt, & quidem rarò & ad normam sobrietatis usurpent cibi quantitatem, à mensâ surgant agiles ad expedienda negotia, citra saturitatem vescantur, fame depulsâ, recreatis viribus, labore & exercitio rursum firmatis, dormiant ut plurimùm incœnati si blandiorem salutaris somni suavitatem haurire velint. Naturalis quippe somnus irrepit à remissiori spirituum influxu, & præsertim à penuriâ subtilissimi succi nervei labore & exercitio consumpti. Quamlibet aliam somni causam nedum fovendam quin longè fugiendam arbitramur. Si enim oriatur somnus ab ingestione nimiâ & remorâ in ventriculo cibi solidioris tenaciorisque, aut à potu copioso liquoris vegetabilis fermentati ac maximè spirituosi, aut ab aromatibus penetrantibus fragrantissimis, tandem à quâvis aliâ causâ eâque multiplici quæ appulsum sanguinis vitalis impediat in corticem cerebri, ejusque transitum per illius vasa turbet vel retineat, necessaria sequetur œconomiæ animalis ruina. Aliundè in somno etiam naturali, augetur motus cordis, pulmonum, arteriarum, viscerum; humorum vitalium circuitus validior est & æquabilior per canales liberiores & ingressui patentiores, ut pote musculorum actione nusquam impeditos. Impulsis itaque fortiùs per vasa majora liquidis, per vasa lateralia debiliùs hæc moventur imò & in minimis quiescunt, unde pinguedo coacervatur. Propioribus ergò somno cibo repleri non expedit, imò prorsus inutile, cùm eædem ferè sint somni & cibi vices, idem munus & officium. Etenim in somno naturali chili materies in lympham enutrientem & in tenuiores humores quamoptimè commutatur, substantia deperdita blandè recuperatur, humores restituuntur, humoribus de novo productis & fluentibus succo nerveo appellente partes ad motum excitantur, redeunt musculis agilitas, nervis vires, mentique vigor; secus verò ex dictis, si cibo graves sopori mortis consanguineo sua membra dare non reformident.

Ergò in ætate mediâ rariori indulgendum cibo.

Proponebat Parisiis GUILLELMUS BERTHOLD, Salino-Bisuntinensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1757, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1757.